



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita viri Constantinopolitani nobilissimi, cui pater motiens Dominum Iesum
Christum reliquit curatorem. Capvt. CCI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

meam. vt & ego partem habeam tecum, vtq; me suscipiat Christus, quemadmodum duo minuta viduæ illius accepit. Stupefactus ille dixit iuueni: Itane, fili, cogitasti? Ait ille: Ita sanè. Patricius vero dixit illi: Quoniam ita cogitasti, totamq; voluntatem tuam obtulisti Christo, volens habere partem mecum, ecce ex hodierna die suscipio te mihi in filium, hæredemq; constituo. Et assumpsit eum secum, atq; hæredem suum fecit.

Vita viri Constantinopolitani nobilissimi, cui pater moriens Dominum Iesum Christum reliquit curatorem.

CAPVT. CCI.

Narrauit quidam patrū dicens: Ascendi aliquando Constantinopolim cuiusdam necessitatis gratia. Cùmq; in Ecclesia sederē, ingressus est quidam secularis, maximè illustris, atq; fidelissimus. Is cùm aspexisset me; accedens saluauit cum omni charitatis officio. Et post salutationem sedit iuxta me, & cepit interrogare de his, quæ pertinent ad animæ salutem. Cùmq; ego illi dicerem, quòd his qui ritè terrena disponunt, cœlestia quoq; donantur: Benè, inquit, pater, dixisti. Nam verè beatus est, qui spem suam in Deum ponit, & se ipsum totū committit Deo. Et dicebat: Ego filius fui cuiusdā secularis gloria clarissimi. Erat autē ipse pater me^o elemosynis maximè deditus, & plurima pauperib. distribuebat. Die ergo quadā vocauit me, & ostēdit mihi omnes pecunias, dicens: Fili, quid tibi gratius est, vt dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cum placerēt mihi, quæ faciebat, respondi me Christum malle. Ista enim omnia prætereunt, & hodie sunt, & cras non erunt, Christus autē manet in æternū. Quod ille cùm audisset, oīa

iam liberè, & larga manu pauperibus erogabat, ita vt moriẽs pauca admodum mihi relinqueret. Ego autem iam pauper effectus, humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat. Erat autem alius quidam diues valde, & primarius, habens vxorem fidelem Christo, & timentem Dominum, habebat autem & filiam vnicam. Dixit ergo illa viro suo: Hanc solam habemus filiam, tantaq; bona nobis largitus est Deus. Cuius ergo rei indiget? Si quæsierimus dare illam alicui primario, & diuiti, qui non sit bonis moribus affliget eam semper. Quæramus illi virum humilem, & timentem Dominum, qui secundum Deum illam diligat, & foueat. Qui dixit illi: Rectè dixisti. Perge ergo in Ecclesiã, & ora intentissimè, atq; illic relide, & qui primus ingressus fuerit, hic illi à Domino missus est sponsus. Fecit igitur vt iusserrat vir eius. Cumq; orasset & sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa seruum suum continuò accersuit me, cœpitq; interrogare dicens: unde es? Ego autẽ dixi illi: Ex hac ciuitate sum talis filius. Dixit autẽ mihi: Illius elemosinarius? Et dixi: Ita, illius sum filius. Tunc ait mihi: Habes vxorem? Et dixi, Non. Narrauiq; illi, quæ mihi dixerat pater meus, & quæ ego responderam ipsi. Illa vero glorificans Dominum dixit. Ecce bonus curator tuus misit tibi vxorẽ, & pecunias, vt vtriusq; cum timore Dei. Deditque mihi filiam suam & pecunias. Ego autem oro, vt patris mei viã vsq; in finem teneam.

Vita Abibæ secularis hominis filij, serui Dei.

C A P V T. C C I I.

NARRAVIT aliquis Patrum, quòd secularis quidam habuerit filium piũ, religiosum,

1 virg.

≠